Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nobiscum, per sanctum suum spiritum confirmans nostrum
propositum. Sic fuit cum patribus nostris patriar
chis et prophetis, dans eis spiritum timoris sui et
amoris. Non derelinquens nos in activae vitae
laboribus, neque proiciens a contemplativae vitae
delectationibus. Sed inclinet corda nostra ad se,
in sua testimonia, non in avaritiam, quae solet
operari cordis duritiam. Ut ambulemus in uni
versis viis eius, in cunctis fidei spei et caritatis
profectibus. Et custodiamus eius mandata, quae sunt
prudentia, iusticia, fortitudo et temperantia.
Et custodiamus eius cerimonias, octo scilicet
beatitudines euangelicas. Et custodiamus eius
iudicia, per septiformis sancti spiritus dona. Quae
cumque mandavit patribus nostris patriarchis
et prophetis, qui suis exemplis ostendunt fidelibus
cunctis regulam verae fidei et dilectionis.
Et sint sermones mei isti, forma verae dilec
tionis dei et proximi. Quibus deprecatus sum coram
domino, quibus celos ascendendo patrem interpello
pro omni fidelium meorum populo. Sint sermones
mei isti appropinquantes coram domino deo nostro, ut
mea apud patrem oratio sit omnium qui sunt
in mundo meorum fidelium protectio. Die et noc
te, omni scilicet huius seculi tempore, et in prospe
ritate et in adversitate. Ut faciat iudicium ser
vo suo, id est filio suo, quem servum patris fecit
humanitatis assumptio. Propterea iudicium, id est
deus pater faciat, ut me diligentes, id est servi
entes, illesos ab hoste custodiat. Ut faciat
iudicium populo suo israhel, ut se diligentes, scilicet
servientes, regni sui faciat heredes, et aeterne
visionis suae participes. Per singulos dies, per
illos scilicet aeternitatis dies, quos mortis
et doloris non operiet superficies. Sic sciant
omnes populi terrae, quia perfectam scientiam illi omnes
habebunt, qui terram viventium hereditate pos
sidebunt. Quia dominus ipse est deus, quia sancta trinitas
pater et filius et spiritus sanctus unus et verus omnipotens.

et aeternus est deus, et non est ultra absque eo,
qui per me primum hominem formavit, et
per me genus humanum in electis omnibus
reformabit. Sit quoque cor nostrum perfec
tum cum domino deo nostro, quia tunc omnes
erunt perfecti, cum videndo creatorem suum
similes ipsi fuerint effecti, de mutabili
tate ad aeternitatem provecti. Similes inquit
ei erimus, cum videbimus eum sicuti est. Ut
ambulemus in decretis eius, ut custodiamus
mandata eius. Quae nam sunt decreta
ista dei et mandata? Mandatum inquit
novum do vobis, ut diligatis invicem.
In quibus nimirum decretis tunc ambulabi
mus, cum ipsum creatorem nostrum regem in de
core suo videbimus, et aeterna ac stabili
dilectione illi inherebimus. Ibi man
data eius custodiemus, cum in camino illo
celestis ierusalem sincerae et firmae caritatis
glutino quasi lapides vivi invicem co
herebimus. Sicut est hodie, quia illud vere di
ci poterit hodie, quod nullo terminabitur fine.

SEQUITUR

Igitur rex et omnis israhel cum eo immola
bant victimas coram domino. Mactavitque
salemon hostias pacificas, quas immola
vit domino, boum xx duo milia, ovium
centum xx milia, et dedicaverunt tem
plum domini rex et filii israhel. In die illa sancti
ficavit rex medium atrii, quod erat ante do
mum domini. Fecit quippe ibi holocaustum et
sacrificium et adipem pacificorum, quia altare
eneum quod erat ante dominum minus erat, et
capere non poterat holocausta et sacrificium
et adipem pacificorum. Rex salemon
victimas coram domino immolat, cum filius
dei sua passione ecclesiam per spiritum sanctum sancti
ficat, quae hostias vivas deoque placitas
super aram passionis christi cotidie mactat.